



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus VII. Fiducia in Deum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

TITULUS VII. FIDUCIA IN DEUM.

§. I.

Sui secunda dormit.

Terram, in qua dormis, tibi dabo. Gen. 28. 13. Quis? ut urbem occupet, non excubet? & tamen regni Jacob, & rerum potitur quiescendo. Quod si eam possidet terram, in qua obdormit; quam nos felicitus dominatum nostrae carnis, quae terra est, inibimus; si non illi excubemus anxij, sed generose indormiamus, ad quem somnum nos Christus, & avium garricu, & mollitudine liliorum, provocavit. Quis autem in lilio non cubet? aut inier lusciniis non sopiatur? Pf. 54. 23. *Facta super Dominum curam tuam, & ipse reemerit.* Fallimur, si tunc caelo spes nostras committimus, cum ros ex eo desluit. Tunc te pendere in DEO volo; cum te ab eo desertum, speretumque putaris. Ibi Jacob indormit, ubi non hortus, non gramen, non thorus, erat. Saxum solum praesto erat in cervicali, & dormit. Oliva l. 1. Strom. hic. Tangitur hic fructus vitae contemplativa. Terra enim haec, patria coelestis est, in qua erit perfecta quies. Unde in hac terra debet caput nostrum, id est, mens, tanquam in pulvinari, quiescere; ut quieta sit a terrenorum cura. Hanc dabit nobis DEUS, si in ea per contemplationem, & desiderium, conversamur. Joannes Geminiani lib. similitud. cap. 8.

Dilasaberis ad occidentem, & orientem &c. Gen. 28. 14. Hoc audit Jacob, non cum fratrem supplantat, aut parentem fallit; sed, cum in soporem resolutus, DEUM videt innixum scabrae. Id. ib. Sensus est, quasi ideo donet, quia dormit, quia nullam temporalium curam gerit. S. Chrysof. hom. 54. in Gen.

Putabam, nos ligare manipulos &c. Gen. 37. 7. Obvenere tum manipuli inclinati, & obsequentes stellae, Josepho adolescenti, sed dormienti. Oliva l. 1. Strom. ibidem.

Vidi somnium; & videbatur mihi quasi submericus panis ex hordeo volvi &c. Judic. 7. 13. Quod se, suaque, magis DEO, caeloque, commiserit Dux, eo majorem de hoste referet victoriam. Oliva lib. 1. Strom. ibid.

Factum est igitur in nocte illa. 4. Reg. 19. 35. Caesa Assyriorum in tenebris castra, quo tempore Israelice quiescebant. Tum potissimum pro rege pugnaverunt Coelites, cum Ezechias non tam in suo strato, quam in DEO suo, recumbat. Quod si arcus somno, melius, quam pugna, servantur; quid de Ecclesia fiet? quam seu in Eva, seu in navi, adumbratam putemus; fateamur necesse est, & in fluctibus a dormiente Salvatore vindicatam, & a paradiso a dormiente Adam enatam. Id. ib.

In pace in idipsum dormiam, & requiescam. Pf. 4. 9. An ideo aucta res Davidis

dormientis? imò multum amplificata. Revivuit, non languit, in sopore ipse; nam subjicit: *quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Quis non DEO votum dicat militandi, cujus stipendia mereri licet quiescendo? Bene de DEO meritus es, si diu dormisti. Id. ib.

Non contristabit justum. &c. Prov. 12. 21. Quia scit, se, suaque, esse DEO curae. Quare in paterna ejus cura suaviter requiescit. Cornelius hic.

Ego dormio, & cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis. Cant. 5. 2. Ubi fortissimi Israel Salomoni adstant? in arce? an in tentorio? aut throno suo? Audio Cant. 3. 7. *en lectulum Salomonis* &c. gladij pullulant e plumis. Docemus; tutiores nos nunquam fore, quam in quiete dormientis in DEO animi. Munitior thorus est Salomonis, quam turris David: in hac arma defensiva, clypei; ibi offensiva, & defensiva. Oliva l. 1. Strom. ante citatus.

Ipse vero dormiebat. Matth. 8. 24. Exprimitur securitas potestatis; quod omnibus timoribus solus intrepidus quiescebat. S. Ambrosius in c. 8. Lucae.

Genius quasi fessus, & sopore lassus, incubat anchora. Lem. *Furat fessus. Habebis fiduciam proposita tibi spe, & defessus securus dormies.* Job. 11. 18.

§. II.

Fiducia in DEUM vincit omnia ardua.

In te eripiar a tentatione, & in DEO meo transgrediar murum. Pf. 17. 30. Ignavos, & pusillanimes, lapis magnus, & nunquam parvus a DEI itinere revocat. Baradius D. Paschalis.

Justus, quasi leo, confidens absq. terrore erit. Prov. 28. 1. Aptè justus comparatur leoni: quia leo, ut dicitur Prov. 30. 30. *fortissimus bestiarum, ad nullius pavesci incursum.* Plinius l. 8. cap. 36. invalidissimum urso caput, quod leoni fortissimum. Sic justus omne robur habet in capite, id est, mente, voluntate generosa, & amore DEI armata. Vidimus leonem, in quem immitti canes venatici, & molossi; cum unus eum fronte apprehenderet, alij auribus, alij cauda, alij dorso, alij pedore, immotum persisteret: ac cum jam plane canibus circumdatus esset, singulos pedibus complecti; ac omnes ex ordine, a primo ad ultimum, singillatim discerpere; ea facilitate, & quiete, qua chartam lacramus. Cornelius hic.

Dicereis monti huic &c. Matth. 17. 16. Mystice mons, est gravis tentatio, ut docet S. Hieronymus; quae maxime vincitur fide, & spe; puta orando, sibi diffidendo, & fidendo DEO

Fff 3

DEO. Unde S. Franciscus molestâ tentatione Spiritûs pulsatus, intendens orationi eum lacrymis, audit e coelo vocem: Franciscus! si habueris fidem ut granum sinapis, & dixeris monti, ut transeat, transibit. Querit ille: Domine, qualis hic mons? cui responsum: mons est tentatio. Franciscus cum lacrymis: fit mihi Domine, sicut dixisti; & statim, sublata omni tentatione, quievit. Wading. in Ann. Minor. 1218. n. 2. Cornelius hic

Omnia possum in eo, qui me confortat. Philipp. 4. 13. Quanta fiducia vox! omnia possibilia sunt inienti super eum, qui omnia potest. Nihil omnipotentiam Verbi clariorem reddit; quam quod omnipotentes facit omnes, qui sperant in eo. S. Bernardus f. 25. Apud Sylv. Addit. in Evang. Matth. 9. q. 7.

Vide tit. Difficultates. Magnanimitas. Spes.

§. III.

Fiducia in DEum non est vacua.

Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit. Deut. 11. 24. Magna fides magna meretur; & quatenus in bonis Domini fiducia pedem potrexeris, eatenus possidebis. S. Bernardus f. 32. in Cant.

Que non quasiuit muliebrem cultum. Esth. 2. 15. Actum est de Esther: nam puella reliqua, quibuscum de occupando regis corde certatum est, pigmenta, & ornamenta petiere; se principi gratiosas fore ornatum confisæ: quidquid postulassent ad ornatum pertinens, accipiebant. Et tamen pigmentata rejectæ sunt; delecta verò præ cæteris Esther, ipsa gratior negligentia. Ergo, si placere Regi vis, noli esse sollicitus de fucis tuis. Si Esther fortunam suam arbitrio Eunucho excolendam tradit; tu Pastori tuo tincturam velleris tui non committes? Oliva l. 5. Strom. hic.

Sola spes apud te miserationis obtinet locum; nec oleum misericordie, nisi in vase fiducia: ponis. S. Bern. f. 3. in annunt. B. V.

§. IV.

Fiducia in DEum roboratur potentia DEI.

Nunquid DEO quidquam est difficile? Gen. 18. 14. *Nunquid manus Domini invalida est?* Num. 11. 23. *Scio, quia omnia potes.* Job. 42. 2. *Domine DEus vir-rutum, quis similis tibi?* Pl. 88. 9. *Nunquid abbreviata, & parvula facta est manus mea?* Il. 50. 2.

Unde illos quis poterit saturare panibus? Marci 8. 4. Quid ad illa verba Christi *unde ememus panes?* Joan. 6. 5. respondere debuerunt Apostoli? Hoc sanè: Domine, jam semel majorem turbam quinque panibus, & duobus piscibus, satiasti; nihil tibi difficile: qui majorem pavit, pascere potest & minorem. At illi nullum de præterita saturatione verbum faciunt; sed rei difficultatem opponunt: *unde illos &c.* In suam impotentiam, ac penuriam, conjicie-

bant oculos; non autem in Magistri potentiam. Ideò difficilimum, imò impossibile, illis videbatur, tantæ turbæ panes suppetere. Si Christi potentiam considerassent, facillimum id esse existimassent. A vestra penuria oculos avertite; in opulentia, potentiaque Magistri figure. Pl. 144. 15. *Oculus omnium in te sperant Domine.* Barradius. 2. l. 16. c. 17. hic. D. 6. Pent.

Si ergo vos - nolitis bona data dare filiis vestris. Luc. 11. 13. *quanto magis Pater vester.* Quare non vis accedere? amare; plus omnibus potest. Et vult, & potest. Quid prohibet? nihil. S. Chryost. in Act. hom. 36.

Confidite in potentia Domini JESU Christi; cujus clementia immensurabilis est, cujus potestas ineffabilis, cujus gratia semper, & in æternum, desiderabilis: quia nunquam derelinquet vos; sed in omnibus ubique vobis aderit. S. Martialis Ep. Lemovic. epist. ad Tolosan. c. 25.

§. V.

Fiducia in DEum exempla.

Qua prævaluerunt nimis. Gen. 7. 19. Nota hic constantiam spei in Noe, & patientiam. Relinquere coactus domum, amicos, & omnia, imò eorum interitum videre; quasi in carcere, fœtore animalium clausus: videbat tantam iram DEI: nesciebat, quamvis diluvium duraturum: cruciatur eum interitus tot hominum, & animalium: laborabat, ut suos in spe roboraret, & consolaretur. Vide Hebr. 11. 7. Eccl. 44. 17. Cornelius hic.

Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane. Gen. 32. 24. Quam ob rem luctatur Angelus cum Jacob; illum si lucia roborat, qui fratrem metuerat. Quapropter etiam illi victoriam concessit, dicens: nonne me solum vicisti, & hominem timuisti? B. Theodoretus q. 91. Si quæras: quare DEUS sic luctabatur, quod luctantem superare nollet? ad hoc est ratio: ad monstrandam scilicet efficaciam foris, & fiducialis orationis. S. Thomas cap. 32. in Genes.

Dominus illuminatio mea, & salus mea; quem timebo? &c. Pl. 26. 1. Quanta fiducia in eo, qui novit dicere: *Dominus illuminatio mea &c.* Protegitur Imperator scutatis, & non timet; protegitur mortalis à mortali; & securus est: protegitur mortalis à immortali; & timebit? & trepidabit? S. Augustinus hic.

Audiens autem JESUS miratus est. Matth. 8. 10. Quis actus ille magnus fuit virtutis, ex quo tantum applausum sibi concilerit Centurio? Ecce hoc unicum: tantum confidit Christi potentia; ut crederet, etiam distantem servo sanitatem redditurum, si vel verbum in salutem ejus enuntiaret. *Tantum dico verbò.* Segneri. f. 2. die Jovis post Ciner.

Surgam, & ibo ad patrem meum. Luc. 15. 18. Quâ spe? quâ fiducia? quâ confidentiâ? illâ, quâ pater est. Ego perdidici, quod erat filij; ille, quod patris est, non amisit. Apud patrem

patrem non intercedit extraneus: intus est in patris pectore ipse, qui intervenit, & exorat, affe-
sus. S. Chrysológus f. 2.

Præbet apud Dominum nobis hominibus peccatoribus fiduciam DEUS - homo. Est nobis spes magna penitentibus: quia advocatus noster factus est noster Judex; qui non vult mortem peccatoris. S. Eligius hom. 8. in Cæna Domini.

§. VI.

Diffidentia DEO displicet.

Adhuc esca eorum erans in ore ipsorum, & ira DEI ascendit super eos. Pl. 77. 31. Cur eos tam repentina ira DEI oppressit? ob diffidentiam de bonitate, & providentia, DEI. *Quoniam percussit petram &c. nunquid & panem poterit dare?* v. 20. Hanc populi obtreccionem durissimè DEUS accepit; nec diu vindictam distulit. Licet alia peccata patienter tulerit, hoc tamen mox castigat. Pinna in Eccl. Ethol. 34.

Miratur S. Prosper, in Pl. 105. 32. Moysem dubitantem petram percussisse; cum DEUS in Ægypto tanta jam miracula patrâret.

§. VII.

Fiducia in DEUM motiva alia.

Sicut fui cum Moysse, ita ero tecum: non dimittam, neque derelinquam te. Jos. 1. 5. Ita nos CHRISTUS ad fiduciam stimulat. Drexelius Ros. select. virt. cap. 14.

§. 4.

Etenim passer invenit sibi domum, & ruritur nidum, ubi ponat pullus suos. Pl. 83. 4. Vis audire, qualis lectulus? jacta cogitatus tuos implumes in Domino, & ipse te enutriet; donec formetur, & firmetur in te CHRISTUS, & occurras in virum perfectum, qui fluctare non possit. Gilbertus l. 2. in Cant.

Ego flos campi, & lilium convallium. Cant. 2. 1. Quia illis mentibus meam præcipuè gratiam tribuo, quæ nullam spem in se habentes, mihi se humili devotione committunt. S. Thomas hic.

Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est. Il. 55. 6. Quamdiu prope est? totum hoc vitæ præsens tempus designat; in hoc semper prope est, ut opem ferat, quocumque malo labores. 2. Cor. 1. 3. *Pater misericordiarum.* Nusquam dicitur Pater justitiæ, sed vocatur Pater misericordie: quia sicut pater naturali ductu, & innatâ propensione, in filios fertur; ita DEUS naturâ ad beneficiendum propendet. Pinna in Eccl. Ethol. 34.

Orantes nolite multum loqui. Math. 6. 7. Christus breviter orare docuit: quia ita cupit dare desiderata, ut prohibeat multum tempus in una re infumere, quod ad multa, & diversa petenda possit sufficere. S. Chrysológus f. 67. CHRISTUS breviter orare docuit, qui citò vult postulata præstare. Pinna ib. Ethol. 12.

Juramentum in DEO actus religionis non est, nec dicti firmatio; sed hominum solatium, quò sublevatur nostra infirmitas. Philo lib. de Abel. Jurat DEUS ad fidem hominum excitandam; qui vel DEO, nisi jurato, non credunt facillè. Tertull. de penit. c. 4. ad Ezech. 33. 11. *Vivo ego* dicens, cupit sibi credi. O nos beatos, quorum causâ DEUS jurat. Velloso in Judith. 1. Parænet. 18.

Citius cælum cum terra periret; quam DEUS hominem, sese illi resignantem, & benignitati ejus humiliter confidentem, abjiceret, aut desereret. Ludovicus Blofius Sacello animæ fid. §. 2.

§. VIII.

Fiducia in DEUM de alimentis.

Pater noster. Matth. 6. 9. Quid charius debet esse filiis, quam Pater? & simplex affectus? cum homines dicunt DEO: *Pater noster!* Et quædam impetrandi præsumptio, quæ petituri sumus; cum, priusquam aliquid peteremus, tam magnum donum accepimus; ut sinamur, dicere, *Pater noster*, DEO. Quid enim jam non det filiis petentibus, cum hoc ipsum jam antè dederit, ut filii essent. S. Augustinus lib. 2. de ferm. Dom. in monte cap. 8.

Scit Pater vester. ib. v. 32. Non dixit, scit DEUS; sed *Pater vester*; quò maximam habeant fiduciam. Ex quo enim Pater est, & talis Pater, filios despiciere non poterit; & pati, ut rerum necessariorum indigentia deficiant; cum neque terreni patres id sustineant. Itaque quam tibi existimas esse causam sollicitudinis, magis causa est securitatis. Quia enim hæc necessaria sunt, idè magis confidere oportet: quis enim pater etiam necessaria filii negabit? Euthymius hic. Quid tam auget fiduciam? quid tam inflammat affectum? quid tam lætificat humilem animam? sicut DEUM verum, & summum, velle à Fidelibus Patrem vocari, eumque fiducialiter Patrem vocare. Dionysius Carthusi. hic.

Nonne anima plus est, quam esca? Matth. 6. 25. Quod dixit Dominus istiusmodi est, qui majora præstitit; utique & minora præstabit. S. Hieronymus.

Indecorum est, homines curare de cibo, qui militant regno. Novit Rex, quemadmodum familiam suam pascat, alat, vestiat; & ideo dixit: *jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Pl. 54. 23. S. Ambrosius in c. 12. Luc.

Palcebat te Dominus contemnentem se; & deseret te timentem se? S. August. in Pl. 33. 10. *time se - quoniam non est inopia timentibus eum.*

S. Franciscus Seraphicus suis non dabat aliud viaticum, quam hoc: *jacta super Dominum curam tuam; & ipse te enutriet.* Cornelius in Prov. 10. 22.

Vide plura tit. Providentia DEI de alimentis.

§. IX.

§. IX.

Fiduciam non colloca in temetipso.

Quomodo ceciderunt fortes? 2. Reg. 1. 19. Aquilis velociore, leonibus fortiores. Si fortes, quomodo ceciderunt? Non gloriatur sapiens in sua sapientia, neque fortis in fortitudine sua; nam, etsi sint aquilis velociore, ut contemplativos velocitate intellectus supervolent; etsi leonibus fortiores, ut in fortitudine operis veros predicatores superent; tamen, si, de se presumentes, clypeum salutis abijciunt, erant corruentes coram inimicis suis. Qui autem confidit in Domino, sicut mons Sion non commovebitur in aeternum. Maluit Saul 1. Reg. 31. 4. incumbere super hastam suam; quam inniti super Dominum: idcirco baculus Aegypti arundineus perforavit manum ejus. Drogo Oth. 1. de creat. & redempt. primi hom.

DEUS meus! in te confido, non erubescam. Pl. 24. 2. DEUS meus; ex eo, quod in me confidebam, productus sum usque ad hanc infirmitatem carnis. Et qui, deserto Deo, sicut DEUS esse volui, à minutissima bestiola mortem timens, de superbia mea irritus erubui, jam ergo in te confido; non erubescam. S. Augustinus hic.

Immolabit sagena sua, & sacrificabit reti suo: quia in ipsis incruentata est pars ejus, & cibum ejus electus. Habac. 1. 16. Dicit, quosdam sic se gerere, quasi retia, & sagenam suam adoret: quia per illa cibum tibi, & familiae parant; sicque illa pro DEO habent, & totam in eis fiduciam habent. His similes illi, qui in arte sua laboribus nimis confidunt, Marchantius D. 14. Pent.

TITULUS VIII. FILII.

§. I.

Donum DEI: varia nomina, edificium, domus &c.

Possidi hominem. Gen. 4. 1. Cain Hebraice idem, quod possessio. Discant parentes, proles esse dona DEI. Abel S. Ambrosio, dictus est, quasi *habes*, id est, *domus Deo*. Josephus, & Eusebius, Abel interpretatur *luctum*. Verum proprie Abel ex Hebraeo significat *vantatem*. Cornelius hic.

Joseph, cum sedecim esset annorum &c. Gen. 37. 2. Hebraicum *Ben*, id est, *Filius*, significat inchoationem, & quasi ædificationem illius rei, à radice *bana*, id est, *aedificavit*. Cornelius hic.

Aedificavit eis domos. Ex. 1. 21. id est, dedit ei prolem numerosam, divitem, honoratam. Hebr. enim filius vocatur *ben*, à radice *bana*, id est, *aedificavit*: quod filius sit quasi fabrica, & domus patris. Nota: congrua hæc fuit merces; ut quo proles Hebræorum servarent, prolibus bearentur. Cornelius hic.

Qui maledixit patri suo, & matri, extinguetur lucerna ejus in medio tenebris. Prov. 20. 20. Lucerna est Symbolum filiorum, & nepotum. Sicut enim lucerna una accendit aliam, & aliam; per eamque lumen suum propagat; sic pater suum quasi Spiritum, & vitam inspirat filiis, eumque per nepotes propagat. Sic Plato docet: parentem filiis vitam tradere; sicut cursores tædas accensas, quas initio stadii à Praefecto acceperant, eò emensò tradebant aliis, & hi aliis &c. Is autem, in cujus manu fax extinguebatur, habebatur infelix, & inglorius. Sic pater, qui moriebatur sine liberis, ut in eo lucerna familiae extingueretur, habebatur infelix, & inglorius. Poena hæc eorum, qui maledicunt patri. Ex adverso DEUS in Scriptura dicitur filiis piis parare lucernam; id est, filios, & po-

steritatem illustrem; ut Davidi, & Christo, dicens: *Paravi lucernam Christo meo.* Pl. 131. 17. Item de Abia 3. Reg. 15. 4. *propter Daviam dedit ei Dominus DEUS suus lucernam in Jerusalem, ut susciperet filium ejus post eum.* Cornelius hic.

Et peperit filium masculinum. Apoc. 12. 5. Proprie, & genuine, filius masculus est populus fidelis, & sanctus, quem Christo pariter electa: Alludit ad H. 66. 7. Sic populus Israel vocatur filius, isque primogenitus DEI Osee 11. 1. *Puer Israel, & dilexi eum, & ex Aegypto vocavi filium meum.* Nota: Fideles, ut sint Christo chari, & genuini ejus filii, masculi esse debent; ut fortiter suis cupiditatibus imperent, & constanter adversa quævis sustineant. Nam femina, id est, voluptuarii, molles, timidi, & inconstantes, quasi spurii ab eo rejiciuntur. In masculis ergo Fidelibus perstat CHRISTI, quasi parentis nomen, & gloria *Masculum* enim Hebr. dicitur *Sachar* à *Sachar*, id est, *memoria*: quod in eo patris postmortem nomen, & memoria perduret, juxta Eccl. 30. 4. *mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se.* Econtra feminae vocantur Hebr. *Nafin* à *Nafa*, id est, *oblitus est*: eò quod in feminae patris nomen, & memoria, pereat. Cornelius hic.

§. II.

Filij primogeniti privilegia.

Vende mihi primogenita tua. Gen. 25. 31. Jus Primogeniti in lege nature quadruplex. I. Erat princeps fratrum, eorumque quasi dominus, & pater; adeò ut coram eo se fratres inclinarent, ut patet Gen. 27. 29. II. In divisione hæreditatis duplices partes accipiebat, ut patet Deut. 21. 17. III. Post diluvium Primogenitus erat Sacerdos familiae, & parentibus in

Ponit-